PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM

CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXI.
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCXII.

HABENDAE


INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

VILNAE,
TYPIS IOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.


BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS




Biblioteka Jagiellońska
1002355662

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

STEPHANVS STVBIELEWICZ, Phil. D. Physices Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX. ad XI^{mae} dimidium, cursum Physicae universae explicaturus, praemissa scientiae huius definitione et in partes, quae totius Physicae proprie dictae ambitum absolvunt, divisione, perget ad generales corporum proprietates breviter enarrandas; quam expositionem excipient reliqua doctrinae capita, suo ordine per singulos tractatus accuratius tradenda, experimentisque, calculo et ratiocinatione illustranda.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. et Medic. D. Collegior. a Consil. Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa a se edita et nuper recognita novisque aucta observationibus, in Laboratorio Chemico exponet, experimentisque illustrabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Ven. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII.

B. STANISLAUS JUNDZILL, Phil. et Theol. D. Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines, iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, iuxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, Botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab hora II. ad IV^{tae} dimidium.

MICHAEL SZULC, Phil. D. Architecturae civilis et militaris Prof. P. O. die Solis ab hora IX. ad XII, die-

THOMAS ŻYCKI, Phil. D. Matheseos Prof. P. O. diebus Lun. et Iov. ab horae VIII^{vae} matut. dimidio ad IX, diebus vero Mart. et Ven. a IX. ad XI^{ae} dimidium, docebit 1) Algebram sublimiorem seu transcendentem, qua determinatae, indeterminatae et altiorum graduum aequationes, series infinitae, fractiones continuae, functionesque transcendentes continentur. 2) Expositam Algebrae theoriam applicabit ad lineas curvas, ubi lineae et superficies diversorum ordinum, earumque proprietates per aequationes generales deducentur; plurimarum quoque linearum transcendentium formabitur notio. Utrumque hoc Matheseos caput, auditorum gratiâ, duce libro Ioannis Sniadecki (Calculi Algebraici theoria ad lineas curvas applicata) explicabit.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D. Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Mart. Merc. Ven. et Sat. ab horae VIII^{vae} matut. dimidio ad IX. tradet, duce Lacroix, Calculum differentialem et integralem usque ad Calculum variationum inclusive, eorumque praecipuum in Mechanica Analytica usum demonstrabit.

CAESARIUS KAMIENSKI, Phil. D. Universitatis Adjunctus diebus Mart. et Ven. ab hora IX. matut. ad XI^{mae} dimidium, Sat. autem die ab horae XI^{mae} dimidio ad XI et dimidium, Trigonometriae sphaericae expositis principiis ac formulis, ordietur cursum Astronomiae, in quo, 1) duce Joanne Sniadecki, notionem Sphaerae coelestis eiusque circulorum ex phaenomenis motus diurni et annui telluris deprômptam, usum Trigonometriae sphaericae in calculandis positionibus astrorum, observandi artem, instrumentorumque astronomicorum constructionem; denique refractionis parallaxeos, aberrationis, et nutationis axis terrestris phaenomena explicabit. 2) Systema mundi, theoriam Planetarum primariorum et secundariorum exponet. 3) Doctrinam Eclipsium Solis, Lunae, aliorumque Satellitum, nec non occultationis astrorum per Lunam, earumque calculum tractabit.

ROMANUS SYMONOWICZ, Phil. et Medic. D. Univers. Adjunctus, Solis die hora II. ad IV. pomerid. diebus autem Merc. et Sat. ab horae III^{tiae} dimidio ad IV. pomer. lectiones Mineralogicas instituet.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII Topographia tradetur, methodusque delineandarum positionum geometricarum ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodata, exponetur a Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

IOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Med. et Chirur. Doct. Colleg. a Consil. Ordinis huius Decanus, Anatomiae hum. et Medicinae forensis Prof. P. O. diebus Mart. et Ven. ab hora IX ad XI^{mae} dimidium, diebus vero Merc. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII^{mam} ope dissectionum anatomicarum demonstrabit fabricam singularum corporis humani partium; diebus etiam Merc. et Sat. ab hora III. ad IV. pomerid. ordine systematis proprii enodabit quaestiones Medicinae forensis.

AUGUSTUS BECU, Phil. et Med. D. a Consil. Aul. Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX. usque ad XI^{mae} dimidium, exponet cursum Pathologiae generalis et specialis, sua Elementa secuturus; quo non interrupto, mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae Medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subjunget. Diebus vero Mart. et Ven. tironibus Medicinae in Nosocomio Sororum Charitatis demonstrationes pathologicas tradet.

FERDINANDUS SPITZNAGEL, Med. et Chirurg. D. Therapiae generalis, Materiae Medicae et Toxicologiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab h. XI^{mae} matut. dimidio usque ad XII. primo Therapiam generalem ita docebit, ut Materia Medica generalis ordine scientifico illam subsequi possit. Cui generales formularum medicarum conscribendarum regulas singulari tractatu subiiciet. His absolutis, Materiam medicam tradet specialem, enumeraturus et diiudicaturus pharmaca singula, tam simplicia, cruda, ex omnibus naturae regnis selecta, quam praeparata; tum composita, quae in potioribus Europae Dispensatoriis prostant; maxime vero ea fusius illustrabit, quae in Rossia sunt quasi indigenae, aut quae saltem in Pharmacopoeis Rossicis legum praescripto asservantur. Auditores autem in formulis medicis conscribendis sedulo exercebit. In Toxicologia venenorum cognitionem, noxam, curam, eorumque, quae remedii nomen obtinuerunt, usum necessarium demonstrabit.

IOSEPHUS FRANK, Phil. et Med. D. Ordinis S. Wladimiri IV. Classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O. quotidie ab horae IX^{mae} dimidio ad X^{mae} dimidium, in Nosocomio Clinico doctrinam medicam curan-

dis morbis adaptabit, tradetqe sexies per hebdomadam ab horae X^{mae} dimidio ad XI^{mae} dimidium, ad praecepta sua Praxeos medicae (quorum primum volumen nuper typis vulgatum est) eam Therapiae specialis partem, quae ad morbos tracheae, pulmonis, oris, oesophagi, viscerum abdominalium, uropojieticorum et partium genitalium spectat. Neque deerit Clinicis occupationibus in Nosocomio hora V. ad VI. vespert. observandis. Praeterea die Solis ab horae X^{mae} dimidio ad XI^{mae} dimidium aegrotantibus urbis hujus egenis, coram discipulis, consilia medicamentaque, quorum pretium ex Societatis Beneficentiae arca solvitur, suppeditabit.

IACOBUS BRIOTET, Med. et Chir. D. Collegior. a Consil. Ordinis S. Annae II. Classis Eques, Chirurgiae practicae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab h. III. usque ad IV et dimidium tractabit de morbis externis, in quibus persanandis dextra Chirurgi manus requiritur. Quocirca operationes chirurgicas in cadaveribus sub tironum oculis demonstrabit. Provectiorum autem in arte chirurgica operationes ipse moderabitur in Clinico Chirurgico, cuius curam habebit quotidie ab h. VIII^{vae} matutinae dimidio usque ad IX^{vae} dimidium et ab h. VI usque ad VII vespert.

ANDREAS MATUSEWICZ, Phil. et Med. D. Artis Obstetriciae Prof. P. O. ejusdem Artis cursum theoretico-practicum peraget, diebus Mart. et Ven. ab h. IX usque ad X et dimidium coram feminis obstetricibus; diebus Merc. autem et Sat. ab h. VIII^{vae} dimidio usque ad IX coram viris.

LUDOVICUS HENRICUS BOIANUS, Med. et Chir. D. Ordinis S. Wladimiri IV. Cl. Eques, Veterinariae Medicinae Prof. P. O. ab horae II^{dae} dimidio ad III. pomerid. 1) quater per hebdomadam tradet doctrinas de tuenda sanitate animalium domesticorum, deque eorundem morbis cognoscendis atque sanandis; in epizooticis malis explicandis secuturus tractatum germanica et polonica lingua a se editum (de praecipuis morbis, quibus gregatim laborant equi cornutaque animalia); 2) binis vero hebdomadis diebus nonnulla Zootomiae capita, quae prae caeteris ad Veterinariam faciunt Medicinam, demonstrationibus in animalium corporibus instituendis illustrabit.

IOANNES FRIDERICUS NISZKOWSKI, Med. et Chir. D. Chirurgiae theoreticae Prof. P. Extraord. diebus Mart. Iov. et Ven. ab h. V^{tae} dimidio ad VI. pom. cursum Chirurgiae theoreticae et doctrinam de morbis ossium, a causis tam externis quam internis oriundis, exponet; in fracturisque et luxationibus sanandis fascias

et machinas usitatissimas demonstrabit, tironum manus in illarum applicatione exercitaturus.

IOANNES WOLFFGANG, Phil. D. Colleg. Assess. Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. Extraord. diebus Lunae, Mercurii et Iovis ab hora II. pomeridiana usque ad III et dimidium, tradet doctrinam de Pharmacis simplicibus seu Pharmacologiam; in qua, demonstrans auditoribus omnia producta naturalia, in pharmacopoliis conservari solita, exponet eorum signa characteristica, indolem, patriam, tempus et rationem acquirendi, vel colligendi, nec non conservandi; atque his omnibus adjunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae a falsis et pravis distingvi queant.— In doctrina de Medicamentis compositis seu Pharmacia statuet imprimis regulas, quae vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in Pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmaceutas proxime spectant. In descriptione cujuslibet praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi indicabit, operationes pharmaceuticas in Laboratorio instituet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut omni in casu bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI, Phil. Med. et Chir. D. Universitatis Adjunctus, diebus Iovis et Veneris ab hora VIII ad IX. duce libro Prof. Andreae Sniadecki, explicabit Physicam Corporum Organicorum in genere, et hac finita, praemissis notionibus anthropologicis, exponet Physicam Organismi humani seu Physiologiam hominis in specie.

GABRIEL HOLTZ, Adjunctus Universitatis, Anatomiae hum. Prosector, repetitiones Anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Iov. post meridiem ab h. III^{tiae} dimidio ad III et dimidium; diebus autem Mart. Merc. Iov. et Sat. ab h. IV. usque ad VI vespert. Studiosorum operam in dissectionum anatomicarum exercitiis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM SCIENTIARUM MORALIUM ET POLITICARUM.

IOANNES HENRICUS ABICHT, Phil. D. Logices ac Metaphysices Prof. P. O. sexies per hebdomadam ab hora IV ad V et dimidium usque, Psychologiae partem I, animi humani vires earumque leges

demonstrantem, tradet; qua finita, eoque ipso ad reliquam Philosophiam via munita, 1) Logicam, praecepta omnis generis veritatum investigandarum exponentem, ter per hebdomadam proponet, simul exercitationes logicas instituturus. 2) Perget in explicatione Philosophiae practicae universalis, quae animi naturam ad mores pertinentem aperit; hac vero absoluta, de iusta bonorum quorundam aestimatione disseret, etiam ter per hebdomadam et tempore supra constituto.

SIMON MALEWSKI, Phil. et Iur. Civ. D. Colleg. a Consil. Ordinis huius Decanus, Iuris Naturae et Gentium Prof. P. O. diebus Mart Iov. et Sat. ab horae VIII^vae^ matut. dimidio ad IX. Merc. autem ac Ven. diebus ab hora VIII ad IX. docebit Ius naturae, Ius naturale politicum et Ius naturale gentium; ducibus compendiis Godofredi Aschenwall latino, et Hieronymi Stroynowski vernaculo sermone ad usum auditorum typis vulgatis, quibus celebriorum auctorum placita subjunget.

ALOYSIUS CAPPELLI, Phil. et I. U. D. Iuris civilis et poenalis veterum ac recentiorum celebriorum Gentium Prof. P. O. diebus Merc. et Sat. hora XI—XII Philosophiam Iuris poenalis docebit. Caeteris autem diebus, tironibus Institutiones Heineccianas, provectioribus vero Titulos Pandectarum de Verborum significatione et de Regulis Iuris, „assidua nec poenitenda unquam opera, ut Cl. Pothier testatur, omnibus Iuris Studiosis relegendos et memoria retinendos„ explanabit.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI, S. Theol. D. SS. Litterarum Prof. P. O. diebus Mart. et Mercur. ab hora IX ad X. et dimidium, die vero Iovis ab hora VII ad VIII. sacras Veteris Testamenti Litteras tradet: in iisque coeptam superiore anno utriusque Foederis Codicum mutuam inter se collationem, hoc ineunte consummaturus, longe sibi magis in iis insistendum proponit, quae ad propugnandam veritatem et mores Christianorum instruendos e Sacris Litteris eruuntur; quam in iis desudandum, quae magis vel scientiae (teste Apostolo) plerumque inflanti, vel infinitis hominum disputationibus, vel soli non raro fastuosae eruditioni deserviunt. Porro si omnis generis veris et fictis in studio SS. Litterarum difficultatibus vacare maluerit; profecto ea, quae potiora sunt, aut negligeret, aut certe ad ea exponenda tempus sibi deesset. Proinde memor praeter alia et illius D. Augustini moniti, ut non sequamur litteram occidentem et vivificantem spiritum relinquamus, maiori ex parte missis variis disputationum generibus, quem-

cunque demum veteris Testamenti librum spectantibus, totus in hoc erit, ut iis inhaereat, quae homini Christiano et Ecclesiastico apprime pernoscenda et meditanda conveniant. Caeterum cum infinita prope ex hoc sacro fonte hauriri debeant, in id vel maxime incumbet, studiosis ut SS. Litterarum auditoribus ita viam aperiat, ut iam ipsi deinceps sine offensione ulterius progredi valeant.

AUGUSTINUS TOMASZEWSKI, Phil. et Theol. D. Theologiae Dogmaticae Prof. P. O. die Lun. ab hora IX. usque ad X. et dimidium, die vero Mart. ab horae VIII dimidio ad IX. exponet Tractatus de Incarnatione Christi, de Gratia per Eum nobis data, et de fontibus eiusdem Gratiae, nempe de Sacramentis in genere. Diebus autem Ven. et Sat. ab hora IX. ad X. et dimidium tradet Historiam Ecclesiasticam, ducendo initium a saeculo XII.

IOANNES CANTIUS CHODANI, Theol. D. Theologiae Moralis et Pastoralis Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Ven. et Sat. ab horae VIII^vae dimidio usque ad IX. prioribus quinque annui cursus mensibus, enarrabit officia hypothetica societatum domesticae, civilis et ecclesiasticae, nec non officia in diversis circumstantiis homini incumbentia; tum de mediis Christianae virtutis generalibus, legitimoque eorum usu tractabit. In sequentibus autem quinque mensibus, alteram officiorum pastoralium classim, quae ad cultum externum religionis refertur, enucleabit; nec non de dotibus animarum pastori necessariis, prudentique vivendi et agendi ratione disseret.

IOANNES ZNOSKO Phil D. a Consil. Aul. et Universitatis a Litteris, bis per hebdomadam, diebus et horis designandis, tradet Oeconomiam politicam ad compendium vernaculo sermone à se vulgatum, Theoriam Adami Smith potissimum secuturus, quam adjectis opinionibus recentiorum in hac scientia scriptorum, ac disquisitione diversorum in ea pertractanda systematum, illustrare sibi proponit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Theol. M. Universitatis Adiunctus, Grammatices Linguae Hebraicae expositioni subjunget interpretationem Chrestomathiae Vateri V. Cl., quam novis accessionibus auctam, adjecto ad calcem Dictionario hebraico-polono, typis Zawadzkii nuperrime vulgandam curavit; atque Introductionem in Libros Sacros Vet. Foed. Poeticos et Deuterocanonicos tradet, duce Ioanne Iahn, diebus et horis designandis.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

EUSEBIUS SŁOWACKI, Eloquentiae et Poeseos Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Merc. et Iov. ab hora III pomerid. ad IV. praelectiones suas, ab Aesthetica, seu doctrina ex Philosophia Pulchri in scientias et artes amoeniores deducta, exordietur. Praemissis dein elementis Grammatices universalis, iisque in analysi linguae polonicae explanatis, disseret de arte bene dicendi et scribendi, totamque disciplinam elocutionis oratoriae, et praecipue singula praecepta, quae linguam polonicam spectant, copiosius tractabit. Peracto hoc cursu ad Poesin, postremo vero ad Eloquentiam transibit, expositaque cuiusvis definitione ac natura, varia tam Poeseos quam Eloquentiae genera pertractaturus, nec non omnia ad sermonem et Polonorum Litteraturam referens, Historiam Litterariam criticam clariorum auctorum, qui vernaculo sermone scripserunt, tradet. Diebus autem Ven. et Sat. ab hora III. ad IV. pomerid. Interpretationem Taciti Adami Naruszewicz, aliaque eiusdem auctoris scripta latius commentabitur, et studiosos Eloquentiae in arte recte scribendi polonico idiomate exercebit.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK, Phil. D. Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. quater per hebdom. h. XI—XII. Pindari carmina et Demosthenis orationem pro corona explicabit; bis autem, Merc. et Sat. diebus, hora eadem, ad Elementa sua formis typographicis expressa, Litterarum Graecarum historiam tradet. Idem in Scholis Latinis Ciceronis Epistolas, temporum ordine servato, et Scriptorum Veterum Censuram ex Quintiliani libro X. enarrabit, quater per hebdom. hora I—II. pomerid. Tum Merc. et Sat. diebus, eadem hora, Antiquitatum Romanarum doctrinam, cuius Conspectum typis exarari iussit, exponet. Denique Lun. et Ven. diebus h. V—VI. vesp. Philologiae studiosos cum interpretandis Taciti Annalibus, Euripidis Hecuba, aliorumque auctorum locis selectis, tum scriptionibus et disputationibus latinis exercere continuabit.

IOANNES IOANNIDES CZERNIAWSKI, Phil. D. Linguae et Litteraturae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora X. matut. ad XI., expositis primo litterarum et artium in Imperio Rossico origine, progressu, quaeque incrementis earum vel profuere, vel obstitere; docebit indolem ac praecepta Rossicae linguae:

deinde breviter praemissis cuiuscunque tam Eloquentiae quam Poeseos generis regulis, recensebit Rossicos auctores, qui in quolibet genere inclaruere, nonnullorumque vel ex toto, vel ex parte scripta perlegenda instituet. Denique auditores suos in versionibus sive ex Rossica lingua in Polonicam, sive ex aliis in Rossicam faciendis, exercebit.

IOSEPHUS SAUNDERS, Chalcographiae et Artium elegantiorum Litteraturae Prof. P. O. 1) Lun. et Ven. diebus ab horae VI. dimid. usque ad VII. vespert. praemissa vocabulorum in artibus tradendis receptorum explicatione, Gallo-Francorum utens sermone, artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persos, Etruscos, Graecos, Romanos, tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt, scholas diversas; porro artium indolem atque fata in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispaniis, Anglia, Dania, Suecia, Polonia et Rossia persequetur, deinde singularum artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae, vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit, quos politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis, omnino illae adferre putandae sint; postremo disseret de iis, quae in optimo ipsarum artium cultore desiderantur, deque vi, quam in easdem diversi coeli tractus exercent. 2) Mar. et Iov. diebus itidem ab horae VI^{tae} dimidio usque ad VII. nunc Gallo-Francorum, nunc Anglorum vicissim lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum persequetur, ac primo Dav. Humii History of England, et Robertsonii History of America, deinde vero Popii Essay of Man, Rape of the Lock etc. Goldsmithii Deserted Village et Traveller, et Miltonii Paradis lost enarrabit. 3) Artis chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis caeterisque festis diebus exceptis, ab hora VIII. Mat. usque ad meridiem.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI, Phil. et Theol. D. SS. Litterarum et Eloquentiae Sacrae Prof. P. O. diebus Iov. unica binarum horarum praelectione, ab hora nempe IX. mat. ad XI., propositis primum et mox explanandis atque in praxim reducendis eloquentiae sacrae praeceptis, maxime vero praecellentibus in ea ad usum et imitationem auditorum exemplis; exercitationibus praesertim tam in dicendo quam in scribendo futurorum sacrorum oratorum, neque iam (magna ex parte) novorum et tironum utilitati deserviendo, sed omnium etiam variis subinde lucubrationibus et orationibus pro concione habendis, prout hactenus fecerat, attendet: easque, si o-

pus fuerit, vel repetendas, vel novis augendas, aut certe limandas et perficiendas, quantum in se erit, curabit: ut aliquando tandem et nostris etiam hisce temporibus, pristina illa eaque divina sacrae Eloquentiae dignitas, quam dudum sanctissimi Prophetae et Apostoli, ac deinceps Apostolici Viri, universaeque Ecclesiae Doctores, et apud nos quoque cum aliis plerisque Petrus Skarga, et alibi Bossuet, Massillon caeterique bene multi asseruere, restituatur.

ALOYSIUS CAPPELLI, Phil. et I. U. D. Ordinis huius Decanus, Iuris Civilis et poenalis, nec non Linguae et Litterar. Italicarum Prof. P. O. diebus Lun. et Ven. h. V - VI. pomerid. Philosophiae Litterarum humaniorum et Artium liberalium, quibus Itali inclaruere, criticam historiam instituet, Thuscorum utens sermone. Die vero Merc. Italicorum scriptorum elegantias interpretabitur.

ANDREAS LEBRUN, Sculpturae Prof. P. Extraord. artis huius praecepta tradet, exemplisque propositis idoneis studiosorum conamina in effingendis efformandisque artis sculpendi operibus moderabitur, diebus Lun. Merc. et Ven. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII, Iov. autem et Sat. diebus ab hora XI ad XII.

IOANNES RUSTEM, Artis delineandi Prof. P. E. quinquies per hebdomadam, diebus designandis, ab hora V. vespert. ad VII. regulas artis delineandi tradet et explicabit; ad lampadis quoque lucem discipulos, iam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari formas ducere exercebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Theol. Mag. Univers. Adjunctus, diebus et horis designandis, cum Grammatices Graeci sermonis expositione conjunget interpretationem Chrestomathiae Cl. Iacobsii. Praeterea Luciani libellos duos, qui inscribuntur: de morte Peregrini, et Deorum concilium, ex editione Cel. Wolfii interpretabitur.

IOANNES PINABEL, Univers. Adjunctus, diebus Mart. Iov. et Sat. ab h. IV^{ae} dimidio ad V. 1) Linguae Gallo-Francorum elementa, ac humaniores ejusdem litteras, regulasque diversorum scribendi generum ad filum Cl. Condillac enucleabit. 2) Historiam Polonicam, auctore Waga, gallico sermone interpretabitur. 3) Gallicorum poetarum et quidem tragicorum, operumque ab iis conscriptorum recensum instituet.

BENIAMIN HAUSTEIN, Univer. Adjunctus, diebus Lun. et Merc. ab hora IV^{tae} dimidio ad V. Linguae Germanicae praecepta tradet; Vener. autem die, eadem hora, historiam Litteraturae comicae exponet, Scriptorumque Germanorum, qui in hoc genere excelluere, pariter atque ope-

rum, quae condiderunt, notitiam dabit — Idem diebus Lun. Merc. et Ven. h. V — VI. elementa Linguae Anglicae docebit.

Artem Musicam theoretice et practice tradet IOANNES DAVID HOLLAND, ad Elementa sua vernaculo sermone vulgata, diebus Mart. Iov. et Sat. h. III — IV pomer.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient diebus Lun. Merc. et Ven. hora III — V. GODOFR. ERN. GRODDECK, Bibliothecae Acad. Praefectus, et Custodes Bibliothecae Acad. STANISLAUS BAKOWSKI et SIMON FELIX ŻUKOWSKI Univ. Adjuncti.